

superstitiosae, quales fuerunt in Papatu pleraeque,²²³ quibus pro maiori parte baptismus in abusum deuenit.

XII. De coena Domini.

Et hoc sacramentum agnoscimus esse verum et ab ipso Christo substantialiter
 5 institutum, habens in utraque sui parte singulare elementum, verbum et man-
 datum, cum redemptoris beneficio praedicato, quo sacramento fides nostra
 de remissione peccatorum ulterius certificatur et confirmatur. Prodigiosam
 vero transsubstantiationem Thomisticam et Papisticam²²⁴ repudiamus et sa-
 10 cramentalem cum Scriptura et Sanctis Patribus mutationem in hoc sacramen-
 to retinemus.

XIII. De Confirmatione.²²⁵

Cum diuus Paulus doceat non esse laqueos conscientiiis iniiciendos,²²⁶ ut
 locus Deut. IV. et XII.²²⁷ stet in suo vigore, quo Deus ipse prohibet suo ver-
 bo quicquam vel addendum vel subtrahendum esse, nos confirmationem
 15 Papisticam non agnoscimus sacramentum, et tortum esse dicimus, quicquid
 Liber Interim adfert pro confirmatione, quod sit sacramentum, stabilienda.
 Primum enim non est institutio Christi; deinde nec elementum, nec verbum,
 nec mandatum habet, ut habent illa duo vera sacramenta; postremo non est
 signum gratiae et [128:] reconciliationis, nec aliqua fidei confirmatio de
 20 remissione peccatorum: igitur non est verum sacramentum. Quod autem sit
 honestus ritus in ecclesia, suam habens utilitatem, non refragamur, postquam
 Christus paruulis manum imposuit,²²⁸ et Apostoli quoque manus impo-
 suerunt baptizatis, ut Spiritum Sanctum acciperent et variis linguis lo-
 querentur, quos imitati sunt veri Episcopi, Catechumenos in Ecclesia con-
 25 firmantes, quorum exemplum hodie quoque passim in Germania Pastores
 Ecclesiarum imitantur. Sed hoc nunquam probare potest autor libri Interim,
 quod Christus instituerit aliquam confirmationem, in qua vel ungeret Epis-
 copus puerorum frontem, vel ad maxillam percuteret; ut manifestum sit hunc
 esse ritum ab hominibus sine autoritate verbi Dei introductum, qui etiamsi
 30 probabilis esset, tamen in sacramentorum numerum referri non posset, cum
 nihil habeat simile veris sacramentis.

²²³ Vgl. Luther, Taufbüchlein 1526 (BSLK 536,25–537,8).

²²⁴ Die Transsubstantiationslehre wurde durch das IV. Laterankonzil 1215 rezipiert, durch das Tridentinum bestätigt (DH 1642).

²²⁵ Vgl. Augsburger Interim XVI, 79.81.

²²⁶ Vgl. I Kor 7,35.

²²⁷ Vgl. Dtn 4,2; 13,1 (in Biblia Germanica 1545 Dtn 12,32).

²²⁸ Vgl. Mk 10,16.